

simum: ipse vero se donando, det quod optimum, quod maximum, quod pretiosissimum. Ah mi Deus posside me totum, tuus enim sum totus & quidem infinitis titulis! Cuiam melius subesse possum, quam tibi, qui solus me beatum reddere potes? Meus equidem sum tua liberali voluntate, quod libertatem mihi donaris, me relinquens in manu arbitrii mei; at utcunque meus sim, me tamen felicem reddere nequeo, nisi per te, & nisi totus tuus sim. Tibi ergo me reddo, a quo omnia habeo. Tuus esse cupio in vita, in morte, in aeternitate. &c.

CONSIDERATIO XIV.

De Magnitudine DEI.

Excedit illa 1. Omnem comparationem 2. Omnem dimensionem. 3. Omnem comprehensionem.

P. 1. *EX*cedit illa omnem comparationem.

Magni sibi videntur, magnique non raro cognomen sibi assumunt Principes, quod integra regna suo contineant imperio, numerosos alant exercitus, potentia, opibus, gloria florent. Sed quid hæc omnia? Quæ ista magnitudo, cum ex subditorum con-

sensu nata sit, eorundem sudore ac fortunis,
 imo & sanguine unice alatur, ac conserve-
 tur? Quæ præterea regna quantumvis am-
 pla, quæ suæ non tandem mole conciderunt,
 omnibusque adhuc ætatibus concidunt; Ut
corruptio unius sit generatio alterius? Quæ
 pariter fortuna adeo magna inter mortales,
 quæ non dicam perpetuitatem, sed diutur-
 nitatem æquam polliceri homini possit;
 cum instar lunæ suas vicissitudines constan-
 ter patitur? Comitetur illam hinc inde ad
 tumultum usque, in eo saltem omnis ampitu-
 do, omnis felicitas sepelietur, frangetque
 tumentes fluctus suos. Quis proin vere mag-
 nus dici possit, nisi solus Deus, utpote mag-
 nitudinem suam non ab alio accipiens, sed
 a semetipso; cum plenitudinem omnis per-
 fectionis ac felicitatis ab æterno in se possede-
 rit, nec alio indigeat, quam pariter semet
 ipso, ad magnitudinem suam sustentandam
 ac perpetuo conservandam? Timeat mag-
 nitudini suæ, quisquis illius augmentum spe-
 rare potest, aut decrementum metuere: ti-
 meat pariter, quisquis inter mortales ad sum-
 mum veluti apicem eam provexit: quo enim
 hæc altius ascendit, eo plerumque ruinæ vi-
 cinior est. At quid speret, aut timeat Deus,

cujus magnitudo & excellentia non solum nullius arbitrio subjecta; sed & ipsa temporum æternitate, & naturæ suæ merito solidissime stabilita est, propria sua firmitate immota perseverans, utpote immortalis & infinita; quin labefactari, alterari, aut deficere unquam possit? Rerum omnium in hoc mundo vicissitudo est. Sol ipse, quamvis lucis nihil in se amittat, obscuratur tamen non nunquam nubibus, suasque patitur eclipses; solius Divinæ excellentiæ & magnitudinis prærogativa est, ut vicissitudinem nullam patiatur, ac primævum & æternum semper retineat splendorem. Quidquid proin extra Deum magnum videri potest, non solum exiguum est comparate ad illum; Sed totum penitus disparet, non aliter quam lux candelæ ad claritatem solis. Intuere Magnates omnes, quotquot fuerunt ab orbe condito, quodnam amabo, superest vestigium omnis illius magnitudinis ac majestatis, quam præ se ferebant? Num in cineribus eorum quidquam invenies; quod ab hominibus infimæ fortunæ ac conditionis eos distinguat? Nonne vel ipsa eorum memoria periit, & impletum in iis illud. Machab. 2. *Hodie extollitur, & cras non invenietur, quia conversus est in*

terram suam, & cogitatio ejus perit: Dii
quidam æstimabantur, cum viverent, sed
quot eorum nunc in tenebris & in umbra
mortis sedent, cooperiti confusione & pudore?
En quo recidat imaginaria hominum
magnitudo, nullo nisi fragili nixa funda-
mento. Cum e contrario magnitudo Divina
æterna, immutabilis, & nulli obnoxia sit,
se ipsam propria virtute communiens ac con-
servans. Unde uti solus Deus ac Dominus
est, ita solus vere magnus, solus Rex Regum,
& Dominus dominantium, solus altissimus.
Ah Domine! dum contemplor tantam mag-
nitudinem, coram qua curvatur omne genu;
quantam invenio causam me profundissime
humiliandi! si Regum omnium gloria, po-
tentia, majestas, divitiæ, cæteræque præro-
gativæ, quibus præ aliis in hoc mundo emi-
nent, ne nomen merentur comparatæ magni-
tudini Divinæ; imo orbis totius magnitudo
& excellentia velut nihilum & inane a te re-
putentur: quanti me pusillum & pauperem,
quanti peritura quæ amo, æstimare debeo!
si res quælibet, quo in se major, dignior,
pretiosior, tanto avidius quæritur, tantoque
magis ceteris vilioribus præfertur; qui fieri
potest, ut quod unice maximum, dignissi-
mu m

mum, pretiosissimum, non omnibus præferam, rebusque in Dei comparatione vilissimis, amores meos consecrem! nonne stupor quidam mentis est, habere animum affixum inanibus, & instar araneæ venari muscas; res autem serias ac solidas, ex quibus unice pendet salus, pro nihilo habere, negligere summi momenti negotium; minima contra ambitiose quærere, & veluti cum Esau vendere primogenituram pro pulmento lenitium? Ah quam triste erit aliquando cogitare, & Deum, & integram felicissimamque æternitatem dilapidatam fuisse pro re, cæjus nullus erit deinceps unquam aut gustus aut memoria? &c.

P. 2. *Omnem dimensionem.* Quidquid creatum est, in numero, pondere ac mensura creatum est. Sicut Deus constituit terminos vitæ nostræ, qui præteriri non poterunt: ita quoque terminos omnibus donis naturæ & gratiæ, omni fortunæ, magnitudini, dignitati nostræ. Suum illa numerum habent, suam mensuram, suum determinatum pondus, cujuslibet naturæ judicio Divino accommodatum: cumque nulli quid debeat, distribuit singulis, pro ut vult, & uni quidem 5. talenta, alii 2. alii vero unum. Hinc videmus

in nulla pura creatura omnia & singula Dei dona esse collecta. Excellit hic scientia, alius sapientia, tertius magnitudine animi: hic natalibus illustris est, alius virtute &c. Quot vultus inter homines diversi, tot diversas inuenies in iis animi qualitates ac dotes: Unde Apostolus ad Ephos. 4. *Unicuique data est gratia secundam mensuram donationis.* At quis Deo ad mensus est suas perfectiones, aut admetiri potuit; cum priorem se neminem habuerit, qui limites ipsi, finesque poneret? Si ipse est prima origo omnium, quæ extra se sunt; profecto a nullo habere potuit, quod aut sibi, aut alteri daret: quod si vero ab intrinseco, & ex essentia sua possidet, quidquid possidet; ne ipse quidem suas perfectiones restringere potuit: cum facere nunquam potuerit, ut non esset, quod est, semperque fuit: quanto ergo minus quisunque alius, cum essentiam suam nullius beneficio, sed virtute propria semper habuerit? Quam proinde dimensionem magnitudinis statues naturæ æternæ, adeoque immensæ, infinitæ, & in omni ratione perfectæ? Ad quem numerum rediges creaturas, quas ejus potentia possit producere? Quos intra limites ætæbis ejus sapientiam, quæ omne intelligibile

vastissimo sinu suo complectitur? Quam Sphæram dabis ejus immentitati, quæ cælum & terram non solum implet, sed infinite excedit? Quam æternitati; quæ omne præteritum, præsens, ac futurum comprehendit? Verum equidem, quod nulla magnitudo creata dari possit, quin in aliquo tandem puncto desinat: utcunque enim alto in mari naviganti, in immensum diffusa videantur illius spatia; quanta, quanta tamen illius & latitudo, & longitudo, & profunditas sit; desinant nihilominus omnes alicubi; suisque litoribus concluduntur; ut & earum initium, & finem invenire liceat. Cum e contrario omnis Dei magnitudo & fine, & initio careat, illique soli conveniat illud Davidis. Ps. 144. *Magnitudinis ejus non est finis.* Magnus ipse, imo & maximus & quidem in omni genere magnitudinis: *magnus sapientia: Sapientia ejus non est numerus.* Ps. 146. *Magnus potentia: Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus.* Ps. 110. *Magnus sanctitate: Quis similis tui, magnificus in sanctitate.* Exod. 15. *magnus misericordia, Magna est super calos misericordia ejus.* Ps. 107. *Magnus suavitate: Quam magna multitudo dulcedinis tua!* Ps. 30. *Magnus gloria:*

*Magna est gloria Domini. Ps. 137. Magnus in suis iudiciis: Magna iudicia tua Domine. Sap. 17. Imo vel ipsum nomen ejus magnum: Magnus es tu, & magnum nomen tuum. Jer. 10. Omnia ergo magna & sublimia in ipsum unum confluunt, in eoque tanquam centro omnis magnitudinis conquiescunt: ita ut in ipso inveniatur & omnis magnitudo, & omnis magnitudinis plenitudo, cui nihil accedere: nihil deesse possit. Magnus est, & non habet finem, excelsus & immensus. Baruch. 3. Ut proinde merito Jobus (cum in hanc magnitudinem mentis oculos forte intenderet) ceu nimio splendore acies vinceretur, exclamarit? *Quis poterit tonitruum magnitudinis illius intueri?* Job. c. 26. Cum ergo tam magnus sis in omnibus Deus meus! & magnitudinis tuæ non sit finis; ad quod punctum non redigetur imaginaria magnitudo mea! Ne unicam quidem naturalem etiam perfectionem in me invenio, quæ non arctissimis sit inclusa limitibus, plurimisque scateat defectibus: qualis ergo erit, si cum tot, tantisque perfectionibus tuis, omnem mensuram modumque excedentibus, conferatur? Si potentiam meam solummodo conferam cum potentia omnium Regum ac Principum, sapien-*

pientiam cum sapientum omnium scientia ac
 prudentia, nonne velut umbra disparet ad
 ortum solis? Quanto ergo amplius ad im-
 mensam lucem Divinarum tuarum perfectio-
 num; quas licet per speculum solum & ænig-
 mate nunc conspiciam, tanta tamen in hac
 ipsa caligine claritate intellectum meum ob-
 ruunt; ut veluti omnem cognoscendi vim ab-
 sorbeant, totumque admiratione teneant de-
 fixum? O quantum gaudium erit intrare in
 ipsum sanctuarium tuum; & thesaurum il-
 lum immensum ipsis oculis contemplari! O
 quando illucescet dies illa, cum discussis
 tenebris noctis hujus, sublatoque omni ve-
 lamine ipso veluti in meridie contemplari
 dabitur mirabilia & magna tua? &c.

P. 3. *Omniem Comprehensionem.* Quantum
 magnitudo Dei excedit omnem dimensionem
 tantum pariter excedit omnem comprehen-
 sionem intellectus nostri. Si obvia & quæ
 sub oculos indies cadunt, ne diuturno qui-
 dem, ac continuato studio assequi possumus;
 quomodo prodigiosam illam Dei magnitudi-
 nem comprehendemus? Non est profecto,
 cur in cælum conscendas, ad investigandum,
 quo fomite nutriantur ignes solares, qua se-
 mita dirigantur astra, quam ventorum cu-
 bilia

bilia, unde veniant, quo pergant, ubi desinant; cum ne minimi quidem floris naturam, proprietatesque comprehendas. Vides e granuloxili, terræ injecto, post aliquod temporis intervallum exsurgere caulem, teneram primum ac humilem, paulatim robustiorem, obtenta iusta altitudine, ferrum e nitidissimis floribus vertici suo ceu coronam imponentem: Amabo, tam sublimis caulis, tamus foliorum luxus, hæc pompa, & ordo florum, qua parte, & quomodo in exili semine latere potuit? Quis Argus tantæ molis, tamque exquisiti decoris, omnium oculos, animosque rapientis, vestigium in hoc minutissimo semine deprehendat; et illud in partes multifariam distrahat, ac partiatur? Verum equidem, terram in elaborando hoc naturæ miraculo concurrere: sed quid illa (utpote gleba suapte natura informis & inelegans) elegantiae ac nitoris, quid insuper odoris floribus illis dare potuit: cum in sinu suo aliud nihil habere videatur, quod plantis communiceet; quam succum nullius odoris, nihil gratiæ nihil præstantiæ in se habentem? Si parentes tam informes partum hunc nobilissimum e sinu suo effuderunt, quo scalpro usi sunt ad attenuanda subtilissima florum folia, eaque

eaque polienda ? Quo circino ad singula
 æqualem & iustum in orbem cogenda ? Qua
 forfice aut cultello, ad ea discriminanda, &
 in certam formam denticulatim incidenda ?
 Ex qua felici Arabia advexere crocum, thy-
 mum, mel, sacharum, balsamum maxime
 odoriferum, quibus eos ita locupletarunt,
 ut apum greges inde alvearia sua darent, ac
 impleant, sibi & hominibus abunde provi-
 dentes ? Ad hæc : quibus artibus instructi
 fuere ad dandam illis formam & figuram tam
 nobilem ac præstantem ? An Sculptoriam di-
 dicere : cujus ductu ac beneficio & toti, &
 singulis partibus iustam dimensionem ac pro-
 portionem tribuerent ? An Pictoriam : ut
 tam exquisitos & vivaces colores foliis insper-
 gerent, eosque tam apte, eleganterque per-
 miscerent ; ut in uno non nunquam flere co-
 lores fere omnes, orbi cognitos, deprehen-
 das ? An Arithmeticam ; cujus ope foliorum
 luxum jam ad angustum numerum contrahe-
 rent, alias ad amplum extenderent, ceu autem
 subtrahendi ac multiplicandi didicissent ? O
 quot arcana uno in flo-culo latentia, in qui-
 bus investigandis frustra sudaret omnis hu-
 mana industria, omnia ingenia fatiscerent ;
 Quod si nunc uno in flore hæreat & obtun-
 dauit

datur acies ingenii nostri; quis comprehen-
 dere poterit illam magnitudinem, quæ om-
 nem aliam in se continet, simulque infinite
 in omni ratione excedit? Concipe quidquid
 magnum extra Deum, in bonitate, pulchri-
 tudine, omnique genere boni & æstimabilis,
 in tota latitudine possibilium, concipere po-
 tes, habebis utique magnitudinem, quæ to-
 ta æternitate occupet intellectum tuum, quin
 tamen eam cogitando exhauriat; & nihilo-
 minus omnis illa magnitudo, Divina com-
 parata, minor atomo censenda est. Quod si
 proin ista magnitudo excederet captum no-
 strum, quantum transcendet intellectum illa
 Dei; cui omnis creata magnitudo, aucta &
 multiplicata in infinitum, & per infinitas ve-
 luti possibiles creaturas dispersa, non nisi
 ludus est? *Forstian vestigia Dei comprehen-*
des, inquit Jobus, c.ii. *Et usque ad per-*
fectum omnipotentem reperies? Ah qua boli-
 de scrutaberis profundum inscrutabilis hujus
 abyssi. Cum excellior sit Deus cælo, eodem
 Jobo teste, & profundior inferno? Qua
 mensura ergo attinges aut altitudinem &
 magnitudinem, aut profunditatem ejus?
 Quanta ergo cæcitas mea, Deus meus!
 quod quidquam in hoc mundo magni æsti-
 mem;

mem; nec tuæ magnitudini increatae, quæ se
 sola omnem rationem magni complectitur,
 intellectum & affectum penitus immergam!
 Quid amorhesautos, voluptates, honores,
 omnemque mundi fastum ac gloriam; quæ
 non nisi inania nomina, umbra, fumus,
 vanitas in comparatione tui sunt: in quo
 & illa invenio omnia, modo multo excel-
 lentiore; & ultra illa, amplitudinem infini-
 tam bonorum omnium? Cur guttam quæro
 perituri boni, nec recurro ad mare illud
 immensum bonorum tuorum, quod nun-
 quam exhaurietur, ut sitim meam explam?
 Curamo, quod amandum non est; & fu-
 gio, quod unice amplectendum? An adeo
 inimicus sum corpori meo, ut amem quæ
 ejus bono adversantur; aut fugiam, quæ illi
 grata & utilia sunt? Una ergo anima mea
 sit, [licet cura & amore meo dignissima]
 cujus bonum negligam; negligendo te sum-
 mum bonum, & adhaerendo bonis creatis:
 cujusque non majore commiseratione tan-
 gar, quam si mea plane non esset; aut mea
 non referret, utrum bene illi, an male sit?
 Ah Domine, *Sana animam meam!* Ps. 40.
Illumina oculos meos, ne unquam obdur-
miam in morte. Ps. 12.

CON-